

# JOANNES PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

dilecto Filio Joanni Ignatio González Errázuriz, e cleico Praelaturae personalis Sanctae Crucis et Operis Dei, Episcopo electo dioecesis Sancti Bernardi, salutem et Apostolicam Benedictionem. Pastoralis Nostrae sollicitudinis proorsus conscii, diligenter ubique Praesules seligere conamur, qui ministerium Apostolorum inter populum Dei impigra operositate exercent. Quapropter nunc consulere volumus gregi Sancti Bernardi, qui ob renuntiationem Venerabilis Fratris Orosimbi Suenzalida y Suenzalida suo orbatus est Pastore. Ad hoc munus sustinendum te, dilecte Fili, idoneum ducimus qui inter sacerdotes sana doctrina, prudentia, sapientia, pastoralis zelo, caritate atque pietate enites. Ex plenitudine igitur Apostolicae Nostrae potestatis, accepto consilio Congregationis pro Episcopis, te nominamus Episcopum dioecesis Sancti Bernardi, congruis datis iuribus atque debitis impositis obligationibus. Quia vero praecipue per Episcopos Christus verbum Dei praedicat gentibus et sacramenta fidei administrat, fidei professionem rite absolves coram quolibet catholico Episcopo atque iusiurandum fidelitatis erga Nos Nostrosque in hac Sede Apostolica Successores ad statutas formulas nuncupabis, quas de more signatas sigilloque impressas ad Congregationem pro Episcopis mittes; ordinationem vero episcopalem ubivis extra urbem Romam accipies, servatis liturgicarum normarum statutis. Praeterea has Litteras Nostras cleico populoque dioecesis tuae notas facies, ut novum Pastorem suum cognoscant, signe accipiant ac debita cum reverentia colant. Denique ministerium tuum intercessionem comittimus Reginae Apostolorum atque te hortamur, dilecte Fili, ut operis tui socios, praesertim sacerdotes, exemplo et sermone ad Eucharistiae concitantes venerationem, ante oculos verba Concilii Vaticani II habens: - Haec quidem pastoralis caritas maxime profluit a Sacrificio Eucharistico, quod ideo centrum et radix totius vitae presbyteri exstat - Presbyterorum ordinis, 14 - Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Octobris, anno bismillesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

Joannes Paulus II

Franciscus Bruno, Prot. Sec.